



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. VI. Vtrum character Confirmationis supponat characterem baptismi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

D V B I V M.

Utrum character Confirmationis distinguatur à caractere baptismi?

33.

TRIPLEX potest esse dicendi modus.

Primus est characterem baptismi & Confirmationis in re non differre, ita ut character Confirmationis ne quidem partialem entitatem superaddat priori, sed solam nouum respectum & nouam extensionem, per quam homo qui prius censebatur esse de familia Christi, constituitur miles & deputetur ad liberam fidei professionem.

Tres dicendi modi. Primus.

Secundus est characterem Confirmationis adde-
dere entitatem, sed partialem eiusdem speciei cum
priori, cum quo constituit quid vnum.

Secundus.

Tertius est superaddere entitatem totalem &
specie distinctam à caractere baptismi.

Tertius.

Hic modus est longè probabilior.

Probatur, character secundum Concilia dicitur
imprimi in anima, quod de singulis potest & debet
intelligi; igitur per Confirmationem imprimitur
character; non potest autem dici imprimi, si nihil
reale conferatur animæ quod per modum signi se
habeat.

Resolutio affirmans. Impugnatur primus modus.

Confir. 1. talis entitas imprimitur in baptismo,
ut communiter Doctores, contra Durandum, id-
que colligitur ex Concilijs, igitur ex iisdem col-
ligi debet ratione Confirmationis imprimi enti-
tatem, & non tantum extendi priorem, seu nouum
respectum acquirere.

Confir. 2. Deus potest per nouam entitatem ho-
minem deputare ad finem Confirmationis, & id
est magis consentaneum eius procedendi modo,
igitur est verisimilius. & hæc contra primum di-
cendi modum.

Contra secundum facit, quod cum baptismus
& Confirmatio differant in ratione Sacramenti, &
habeant diuersos fines, sit convenientius chara-
cterem cuiusque per quem deputatur ad huius-
modi fines, secundum conditionem & naturam dif-
ferre, & non tantum se habere ut magis & minus
perfectum intra eandem speciem.

Impugnatur secundus.

Confir. potest infundi character diuersæ speciei
à caractere baptismi, ergo verius est infundi, quia
idcirco potest dari diuersus, quod finis Confirma-
tionis sit alius à fine particulari baptismi, id autem
etiam concludit conformiter naturis rerum infun-
di diuersum.

Nec refert quod gratia sanctificans collata
per utrumque Sacramentum sit eiusdem speciei;
quia gratia per quam constituimur Dei amici est
vnius & eiusdem speciei, unde ex quacumque
causâ nobis proueniat est eiusdem naturæ, ha-
bentque effectum formalem eiusdem rationis: cha-
racteres verò qui sunt effectus particulares quo-
rundam Sacramentorum, per quos homo de-
putatur ad fines particulares, possunt esse di-
uersæ speciei; ergo convenientius constituuntur
diuersæ speciei.

Ex identitate speciei gratiæ non rectè colligitur identitas characteris.

ut Concilia citata, & supponit Innoc. 3. cap. Pa-
foralis, de Sacramentis non iterandis. ex quo pa-
teret quod August. lib. 3. de baptismo cap. 16. do-
cens manuum impositionem iterari posse, non
agat de hac impositione, sed de aliqua caremo-
niali instituta ab Ecclesia, ea scilicet quæ olim
fiebant in reconciliatione penitentium. Nec re-
fert quod initio capitis agat de impositione ma-
nus, per quam datur Spiritus S. quia in fine agit
de impositione secundum aliam rationem spe-
datâ.

Aduerte 1. non censi iterari quod nulla ratio-
ne cognoscitur collatum. vide Greg. lib. 12. epist. 51.
vel de quo nulla est dubitatio orta ex probabili
coniectura; vnde tali casu potest Sacramentum
absolutè conferri, si verò sit rationabile dubium,
solum potest conferri sub conditione.

Aduerte 2. Canonistas docere suscipientem vel
conferentem iteratò hoc Sacramentum incurrere
irregularitatem, sed melius negant Theologi, quia
nullo iure exprimitur, quod tamen requiritur ut
incurtatur irregularitas. videri potest Scotus dist.
7. quest. 5.

ARTICVLVS VI.

Utrum character Confirmationis supponat characterem baptismi?

AFFIRMAT. quia baptismus est ianua Sa-
cramentorum, sine quo cetera non possunt
valide recipi, ergo & character eius ita alijs Sacra-
mentis supponitur, ut si cui non baptizato & ca-
racteri character baptismi tentetur conferre Sacra-
mentum, nihil fiat, vbi

Notandum collectionem S. Thom. quâ deducit
characterem baptismi supponi characteri Confir-
mationis, quia ipsum Sacramentum baptismi sup-
ponitur Confirmationi, esse legitimam suppositis
quibusdam apud Theologos receptis, scilicet quâ-
documque validè confertur baptismus imprimi
characterem, eumque characterem nunquam im-
primi sine Sacramento reipsa suscepto, quod simi-
liter de caractere Confirmationis dicendum est
respectu Sacramenti Confirmationis. Ex his enim
optime colligitur, ut Sacramentum Confirmatio-
nis alicui validè conferatur, supponi baptismum,
& per consequens characterem Confirmationis
supponere characterem baptismi.

Vnde non sequitur, aliqui ante baptismum re-
ceperunt abundantiam gratiæ, ut patet in Corne-
lio Act. 10. ergo & characterem; negatur enim con-
sequentia, quia abundantia gratiæ non est ita effe-
ctus proprius Confirmationis ut alijs medijs com-
parari non possit: character verò Sacramenti de le-
ge Dei ordinaria ita pendet à Sacramento re sus-
cepto, ut nullâ aliâ viâ obtineri possit.

Notandum S. Th. responsione ad 3. censere ro-
bur spirituale supponere effectum baptismi, qui
est iustificatio. quod & possit frequenter esse ve-
rum, non tamen est necessarium, ut patet in ijs qui
ratione martyrij primam gratiam sanctificantem
consequuntur.